



Regnerus ex illustri regum Septentrionalium familia prognatus, ob plurimas corporis & animi uirtutes rex Daniæ electus est, eo tempore cum Ludouicus Pius apud Germanos præffet. Cum autem Siuardus rex Suetiæ etiam Noruegiam ui occupasset, atq; pudicas matronas uitiasset, Regnerus, qui maternum genus à Noruegis traherat, eiusmodi Siuardi conatibus magno animo obuiam processit, atq; mulierum ope Siuardum cognomento Fro dictum oppressit. Postea Herotinioui Sueonum regis filiam Thoram uxorem petijt, atque Lantgertham priorem coniugem repudiauit. Eo autem tempore ex uetustissimo more

obseruabatur, ut uirgines, quanto illustriori sanguine natæ erant, tanto maiora pericula aut difficiliore labores subire cogebantur, qui ad earum amplexum peruenire uoluerunt. Alijs enim fortissimi gigantes & pugiles duello superandi opponebantur, ab alijs exacta militaris disciplinæ experientia aut gloriosum aliquod facinus pro salute Reipub. peractum expetebatur. At huius speciosissimæ reginæ thalamum, duæ immanes belluæ fortissimis uiris formidabiles obseruatum tutabantur, quæ ante expugnandæ erant, quàm quis ad uirginis nuptias perueniret.